

1603

riosque, qui in Agustanos omnia tentaturi videbantur, vel mulcendos vel leviter coercendos censebant, cum ira æstuant, per eos fere dies duos sacratos viros, Agustanorum consilii participes & conscios, interfecissent; atque ob id a Pontifice Maximo cœtu fidelium amoti, ægre certis conditionibus veniam impetrassent: iniquum vero esse, ut ii, qui ad Rempublicam confugerant, atque sponte in ejus se tutelam dede- rant, aliorum libidini ac crudelitati permitterentur. At Epi- daurii cum primum ab Agustanis Reipublicæ vexilla sublata, sinus præfectum eo illatum, præsidium arci impositum cogno- vissent, Stephanum Benessam, oratorem, Venetias mittunt. Is togatus, ut mos est illius reipublicæ, Collegium ingressus, prolixo sermone Agustanorum insolentiam, pervicaciam con- queritur: *Nullis flecti officiis, nullis mitigari beneficiis po- tuisse, quin tandem in patentem rebellionem eruperint, Rei- publicæque præsidium acceperint: scire se, parum ea insula vel potius scopulo Rempublicam egere, cujus late patens terra marique imperium sit: verum grave Epidauriis videri, eorum perduelles foveri, iis spiritus addi, pessimo cunctis Principi- bus, ac Venetis aliquando, exemplo cessurum: quapropter amicæ Reipublicæ nomine, quæ semper in Venetos singulari observantia extiterit, postulare, deducto præsidio, insulam li- bere permittant, ut de subjectis rebusque suis consulere ac statuere sibi integrum ac tutum sit.* Benessæ oratori Senatus consulto responsum: *Ad Agustam occupandam Rempublicam aspirasse nunquam; superiore anno, cum Epidauriorum imperium pertæsi, ad eam Agustani confugissent, ne a dominorum fide dis- cederent, suasisse; ut se se iis conciliarent, incitasse: eadem men- te Senatum nunc esse; Bernardumque Venerium, sinus præfe- ctum, non eo misisse, quo Agustanos subigeret, atque Venetis ditionibus adjiceret, quid enim tantula accessione Reipublicæ accresceret? sed ut motus, qui inde assurgere facillime pos- sent, comprimeret, ne parvis initiis graviora mala suboriren- tur: id & omnium & eorum imprimis Reipublicæ interesse: opportune itaque Agustanos, modo tuti atque immunes sint, liben- ter Senatum permissurum.* Benessa cum hoc responso dimissus, re imperfecta discedere nolens, exitum in urbe præstolatur.

Stephanus
Benessa,
Epidaurio-
rum orator
ad Venetos,
& ejus offi-
cium.

Senatus
responsum.

Interea ex Agustanorum plebe quatuor deligi, qui ad negotium
per-